*das febres diuturnas, ad viſcerum harmoniam rectific.n.dam, ad reſolvendos flatus. Chriſtophorus præter evarratos bonos effectus conferre dixit cachexiæ, fœdo corporis, ac faciei colori, & corruptioni appetitus. Sylvius affirmavit etiam coctionem firmare, cacochymiam tollere, & per vrinas ducere peccantes humores.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS FVMARIÆ COMPOSITVS Meſues.

℞. Myrobalanor. citrinor. & chebulor. ana ʒxx. flor. borragnis, bugloſsi, violar. cuſcutæ, & abſythij ana ℥j. liquiritiæ, & roſarum ana ℥ß. epithymi, & polypodij ana ʒvij. prunorum N. C. paſſular. ſine acinis ℔ß. pulpæ tamarindor. & caſsiæ fiſtulæ ana ℥ij. coquantur omnia præter caſsiam, & tamarindos in ℔xij. aquæ ad conſumptionem trium librarum, colaturæ adde pulpas, & eas diſſolve, deinde adde ſucci fumariæ cocti, ac depurati, & ſacchari albi ana ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Commendatur ad roborandum ventriculum, & hepar, ad aperiendas obſtructiones, & abſtergendos cutis morbos, præcipue ab humore ſalſo, vel vſto natos, ad ſcabiem, lepram, pſoram, impetiginem, &c.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS MYRTI.

℞. Succi granor. Myrti ℔xij. coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, ex quo clarificato accipe ℔vij. ſacchari albiſsimi ℔v. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Commendatur hic ſyrupus, ad corroborandum ventriculum, & viſcera omnia, ad ſiſtendum alui fluxum antiquum, contra tuſsim, & ſanguinis fluxus, vel ex ore, vel*



*vel ex inteſtinis, vel ex vtero, vel renibus, vel venis hæmorrhoidalibus, ſumptus cum aq. chalybeata, vel alia aqua ſtillatitia appropriata; confert etiam ſuperfluo fluxui vrinæ, ac diabeticæ paſsioni.* Doſis ad ℥iß.

## SYRVPVS FLORVM TVNICÆ.

℞. Florum Tunicæ exungulator. & recent. ℔ij. infundantur in ℔iv. aq. tepidæ per 24. horarum ſpatium loco calido, hinc colentur, & iteretur infuſio eodem modo, poſtea cum colatura, & ſacchari clarificati, & ad conſiſtentiam tabellarum cocti ℔iv. fiat ſyrupus.

### *VIRES.*

*Cephalicus, ac cardiacus eſt inſignis, ſtomachum roborat, prodeſt in vertigine, apoplexia, ſyncope, ac palpitatione cordis, lumbricos fugat, partum allevat, &c.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS FLORVM HYPERICI.

Paratur eodem modo.

### *VIRES.*

*Calculoſis, ac renum dolores patientibus auxilio eſt, vrinas movet, vermes enecat, nec non cordis, cerebrique vires adauget.* Doſis ad ℥iß.

## SYRVPVS PAPAVERIS ERRATICI.

℞. Aquæ tepidæ ℔iij. flor. recent. Papaveris erratici ℔j. ſtent in infuſione per horas octo, coletur, & reiteretur infuſio ſecunda, & tertia vice, deinde cum colaturæ, & ſacchari ana partibus æqualibus fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

AD *ardentium febrium vehementes æſtus adhibetur, quorum incendia potenter extinguit, ac calores efficaciter mitigat, vigiliaſque arcet, calidis præſertim pectoris malis, vt potè peripneumonia, acribus diſtillationibus, faucium inflammationibus, ac pleuritide, cui à proprietate quàm maximè prodeſſe creditur, ſalutaris exiſtit.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS FLORVM POEONIÆ.

Paratur eodem modo.

*VIRES.*

V*Alet ad convulſionem, epilepſiam, ac ſpaſmum, comitialis morbi inſultus frangit, menſes ducit, & vterinis affectibus conducit.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

## SYRVPVS POEONIÆ MAGISTRALIS.

℞. Radicum Pœoniæ Maſculi ℔j. contundantur, & coquantur in ℔vj. aq. ad dimidias; demum coletur decoctum, & reſidere finito, vt clareſcat, deinde accipe quod clarum ſit, & cum ſacchari tantundem fac ſyrupus. S. A.

*VIRES.*

V*Alet epilepticis, contra Regium morbum, & renum; ac veſicæ dolores.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

## SYRVPVS KERMES EX MESVE.

℞. Granorum Kermes ℥iiß. coquantur in ℔iv. aq. ad conſumptionem ℔ij. & cum colatura, & ſacchari ℔j. fiat ſyrupus.





*VIRES.*

C*Ardiacus eſt. ſpiritus vitales reficit, vapores tetros diſcutit, parturientibus ſubvenit, vulneratis nervis medetur, morbillos erumpere facit.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS ROSARVM SICCARVM.

℞. Aquæ puræ tepidæ ℔v. Roſar. rubr. ſiccar. ℥iv. infundantur per octo horas, mox colatura facta, & calefacta; infunde Roſar. ſiccar. ℥iv. & poſt alias octo horas iterum exprime, & tertia vice, vt antea infunde ℥iv. Roſar. ſiccar. his peractis cum colatura, & ſacchari ℔iij. fiat ſyrupus.

*VIRES.*

A*D omnem alui fluorem ſiſtendum valet, ad cœliacos, lientericos, & dyſentericos probè iuvat, partes internas roborat, vlcera detergit, ac glutinat, vomitum compeſcit, nec non vteri rheumatiſmum cohibet.* Doſis ad ℥ij.

## RHODO SACCHARI CVM AQVA Cinnamomi.

℞. Aquæ Caſsiæ lacteſcentis diſtillatæ ℔j. ſacchari clarificati, & tabellati ℔iij. fiat ſyrupus.

*VIRES.*

S*Tomachum, & ſpiritus roborat, digeſtionemque iuvat.* Doſis ab ʒß. ad ℥iij.

## RHODO SACCHARI, A MESVE SYRVPVS Roſatus dictus.

℞. Succi Roſar. rub. ℔iij. ſacchari ℔ij. fiat ſyropus S. A.

### *VIRES.*

*FEbrium, thoracis, & ventriculi incendium, caloremque flammeum extinguit, ſitim in expletam ſedat.* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

### SYRVPVS VIOLARVM SIMPLEX EX Meſue.

℞. Aquæ tepidæ ℔vj. flor. violar. recent. ℔ij. ſtent in infuſione per horas octo, mox exprimantur, & colaturæ tepefactæ adde iterum flor. violar. recentium ℔ij. procede vt antea, hinc cum colatura, & ſacchari ℔iv. fiat ſyrupus. S. A.

### *VIRES.*

*COnfert in morbis calidis pectoris, & hepatis, in faucium inflammationem, in tuſsi ſicca, & ardorem vrinæ.* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

### SYRVPVS VIOLARVM EX QVINQVE infuſionibus.

PAratur eodem modo, reiterando infuſiones violarum, ad quinquies.

### *VIRES.*

*Conuenit cum priori, ſed cum maiori efficacia.*

### SYRVPVS VIOLATVS VIOLACEVS, ſeu Cœruleus.

℞. Succi ex floribus violarum, à parte herbacea expurgatarum ℔ij. ſacchari albiſsimi ſubtiliter pulverati ℔iv. miſce, & fiat ſyrupus, in vaſe vitreo, lento igne cinerum.

VI-



### *VIRES.*

*HIC ſyrupus eſt hodierna die frequentiſsimus, & in colore, odore, & ſapore iucundiſsimus, & in operatione efficaciſsimus, eaſdem namque præſtat, imò cum maiori efficacia vtilitates, quas ſyrupi prædicti ex infuſione violarum.* Doſis ad ℥ij.

### SYRVPVS VIOLATVS VIOLACEVS ALIVS.

℞. Aquæ tepidæ ℔ij. florum violar. à parte herbacea expurgatar. ℔j. ſtent in infuſione per 24 horas, mox exprimantur: colaturæ tepefactæ, adde iterum flor. violar. eodem modo paratarum ℔j. procede, vt antea, poſtea cum colatura, & ſacchari albiſsimi ſubtilitèr pulverati ℔iv. fiat ſyrupus, vt ſuperius, qui conuenit cum eo.

### SYRVPVS VIOLARVM EX 9. INFVSIOnibus.

℞. Infuſionis violarum ex 9. permutationibus (*vide ſupra Cap. X.*) ℔vj. ſacchari albiſsimi ℔iv. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*EDucit choleram, & alterat exceſſum eius, in acutis morbis, viſcerum inflammationibus, ac ſitim explebili commendatur, ac aluum emolliendo bilis acrimoniam retundit, ſiccæ tuſsi medetur, gutturis aſperitates lenit, thoracis, & pectoris, totiuſque ventris inferioris affectibus calidis ſuccurrit* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

### SYRVPVS NIMPHÆÆ.

℞. Flor Nimphææ albæ ℔j. aquæ tepidæ ℔iij. ſtent in infuſione per horas octo; hinc exprimantur, & reite-

 re-

retur infuſio ſimili modo ſecunda, & tertia vice: deinde cum colatura, & ſacchari ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

VIRES.

*INſigniter refrigerat, ſomnum allicit, viſcerum æſtus mitigat, veneris inſomnia cohibet, ſemen immodicè fluens reſtringit, ſitim temperat, ac febrium ardores compeſcit.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS PAPAVERIS ALBI EX Fernelio.

℞. Capitum papaveris albi mediocritèr maturorum, & recentium ℥viij. capitum papaveris nigri recentium ℔ß. aquæ pluvialis ℔iv. coquantur ad conſumptionem ℔ij. hinc cum colatura, fiat ſyrupus addendo ſacchari, & penidij ana ℥viij. vſuique ſervetur.

VIRES.

*VAlet in arcendis defluxionibus calidis, tenuibus, & acribus in thoracem ruentibus, quæ aſperam arteriam, fauceſque exaſperant, & vigilare cogunt, proinde tuſsim, ex defluxionibus ijs enatam pellit: lentore autem ſuo gutturis aſperitatem lenit, caloris incendium mitigat, ſitim explet, ſomnum conciliat cum proprijs viribus, refrigerando nimirum, & humectando, tum ex accidenti, ſedata videlicet, tuſsi, quæ inſomnium parit.* Doſis ad ℥j.

## SYRVPVS CVCVRBITÆ MESVES.

℞. Cucurbitam magnam maſſa involutam, & clivano coque: hinc: ℞. Eius ſucci expreſsi ℔v. ſacchari albi ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

VIRES.

*MAgnas vires habet in ſiti, & magno incendio extinguendo, febres ardentes, bilioſaſque; reliquas gutturis aſperitates, ac pleuritidem emendat.* Doſis ad ℥ij.



## SYRVPVS MECONII.

℞. Meconij ʒj. diſſolvatur in ſ. q. vini albi, & cum ſacchari ℔j. fiat ſyrupus S. A.

VIRES.

*SPiritus commotos, inquietos, ſedicioſoſque compeſcit, torporem inducit, ſomnum conciliat, doloreſque ſopit.* Doſis ad ℥ß.

## SYRVPVS MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ electæ ℥ß. teratur cum ℥iv. ſacchari candi, & fiat diſſolutio in albuminibus ovorum, eo modo, quo paratur oleum Myrrhæ per deliquium.

VIRES.

*OPtimus eſt ad tuſsim inveteratam, aſthma, & vlcus renum.* Doſis ad ℥ß.

## SYRVPVS TEREBINTHINÆ DONZELLII.

℞. Milij ſolis, herniariæ, ſeu polygonij minimi, ſem. geniſtæ, & ligni viſci quercini ana ℥j. coquantur in aq. capillor. veneris quod ſufficiat S. A. In colatura diſſolve Terebinthinæ venetæ ℥ij. primum in ovi vitello incorporatas, & cum ſacchari albiſsimi ℔iß. igne lento fiat ſyrupus S. A.

VIRES.

*COnfert in affectibus omnibus renum, ſed præcipuè in calculo, & gonorrhæa.* Doſis ab ℥ß. ad ℥ij.

## SYRVPVS CINNAMOMI AVGVSTANÆ.

℞. Cinnamomi acuti ℥iv. teratur, & imponatur in cucurbita vitrea, cui addantur aquæ cinnamomi cum vino diſtillatæ ℔ij. aquæ roſar. ℥ij. digerantur per dies duos, hinc colentur & cum ſufficienti quantitate ſacchari fiat ſyrupus abſque decoctione.

### *VIRES.*

*Vitales eſpiritus recreat, cor, ac ventriculum à frigore languidum reficit, oris anhelitum emendat, coctionem iuvat, nec non vires corporis fulcit.* Doſis ad ℥iß.

## SYRVPVS KINKINÆ.

℞. Corticum Kinkinæ ℔ß. vini albi ℔iv. ſalis abſynthij ℥ß. Infundantur per tres dies; poſtea coquantur lentiſsimo igne ad tertiæ partis conſumptionem, expreſsioni adde ſacchari ℔iij. fiat ſyrupus S. A. Doſis ad ℥ij. in febribus.

## SYRVPVS SCORIÆ FERRI MAGISTRALIS.

℞. Scoriæ Ferri pp. ℔j. paſſularum enucleatarum ℔ij. Baccar. Juniperi, aniſi, & origani, ana P. ij. croci ʒj. omnia præter crocum infundantur in ℔vj. aquæ per 24. horarum ſpatium, poſtea coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, cum colatura, & ſacchari ℔iv. fiat ſyrupus, addendo inter coquendum crocum, in panno ligatum.

### *VIRES.*

*Valet in obſtructionibus, cachexijs, chloroſis, & ſimilibus.* Doſis ad ℥ij.

*** *** ***





## SYRVPVS MERCVRIALIS COMPOSITVS.

℞. Polypodij ℥j. prunorum N. LX. trium flor. cordialium P. iij. ſucci mercurialis ℔iij. infuſionis roſarum perſicarum ℔j. Infundantur per 24 horas, deinde cum colatura, & ſacchari ℔iv. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Bilioſos, & aquoſos humores evacuat, vterum impurum mundificat, & conceptioni habilem efficit.* Doſis ad ℥iij.

## SYRVPVS MERCVRIALIS SIMPLEX.

℞. Succi Mercurialis depurati, & cocti ℔iij. ſacchari ℔ij. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Modeſtè alvum ſubducit, ſanguinemque purificat.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

## SYRVPVS MERCVRIALIS MAIOR, VVLCO de *larga vida*.

℞. Succi Mercurialis depurati ℔iv. ſucci Borraginis, & Bugloſsi ana ℔ij. Mellis optimi ℔vj. Radicis Gentianæ ℥iv. rad. Iridis ℥ß. Radices infundantur in ℔iß. vini albi per 24. horas: Mel deſpumetur, & omnia ſic parata, & colata ponantur in vaſe vitreo, ſeu vitreato, & coquantur in ſyrupum, vſuique reponatur.

### *VIRES.*

*Sanguinem mirificè mundificat, & impuritates humorum blandè evacuat.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij

## SYRVPVS STOECHADIS COMPOSITVS Meſues.

℞. Flor Stœchadis ℥iij. & ʒvj. thymi, calaminthæ, & origani ana ʒx. aniſi, & pyrethri ana ʒvij. piperis longi ʒiij. zingiberis ʒij. paſſularum enucleatarum ℥iv. aquę ℔viij. coquantur S. A. ad conſumptionem ℔ ij. hinc cum colatura, & ſacchari, aut mellis ℔v. coquantur in ſyrupum; cui immergantur in linteo raro ligata: cinnamomi, calami aromatici, ſpicæ, croci, zingiberis, piperis nigri, & longi ana ʒiß. inter coquendum.

### *VIRES.*

A*Ffectibus cerebri frigidioribus, & pituitoſioribus conuenientior, vbi calore maiori, incidentibus, & tenuantibus, indigemus vtendum eſt: cerebri, ac neruorum frigidis noxijs remedio eſt, horum cauſam, pituitam ſcilicet craſſam, & viſcidam potenter diſſecans, digerens, at tenuans, paralyſi, ſpaſmo, conuulſioni, nec non epilepſiæ medetur; facit etiam ad pectus anhelosum à diſtillatione dependente, ac ventriculum confortat.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS STOECHADIS SIMPLEX ex Velez.

℞. Flor. ſtœchadis ℔j. aq. tepidæ ℔ivß. coquantur ad conſumptionem ℔iß. deinde cum colatura, & mellis ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

V*Entriculum, cor, cerebrum, ac hepar confortat, calefaciendo, ſiccando, abſtergendo, attenuando, ac aperiendo; in affectibus neruorum, & pectoris, in lethargo, paralyſi, vertigine, apoplexia, menſium ſuppreſſione, ac venenis etiam prodeſt.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

SY-



## SYRVPVS THYMI EX MESVE.

℞. Summitatum Thymi ℥ij. calamenthi, menthæ ſiccæ, ana ʒv. aniſi, dauci, fœniculi, & apij ana ℥ß. paſſular. enucleatar. ℥ivß. Coquantur S. A. in ℔iv. aquæ ad conſumptionem ℔j. & ℥viij. & cum colatura, & mellis ℔ij. fiat ſyrupus, & aromatizetur cum ʒij. Galliæ ex Meſue.

### *VIRES.*

C*Alefacit, incidit, tenuat, ob id omnem frigidam intemperiem thoracis, pulmonis, ventriculi, hepatis, aliarumque partium iuuat.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

## SYRVPVS EPITHYMI MESVES.

℞. Epithymi ℥iiß. myrobalanor. citrinor. & Indor. ana ℥iß. & ʒiij. cuſcutæ, & fumariæ ana ʒx. thymi, calaminthæ, bugloſsi, myrobalanor. emblicor. & bellericor. liquiritiæ, polypodij, agarici, & ſtœchadis ana ʒvj. roſar. ſem. fœniculi, & aniſi ana ʒiiß. prunor. N. xx. paſſular. enucleatar. ℥iv. tamarindor. ℥iiß, aquæ tepidæ ℔vij. coquantur ad conſumptionem ℔iiß. mox cum colatura, & ſacchari ℔iij. fiat ſyrupus, addendo tamarindos nunc, cum ſapæ vini ℔ij. & iterum coquendo ad iuſtam conſiſtentiam, coletur, vſuique reponatur.

### *VIRES.*

B*Ilem aduſtam in ſcabie, & pruritu, & in elephantiaco affectu incipienti, & præterea in mania, & melancholia præparat, & euacuat.* Doſis ad ℥iij.

## SYRVPVS POLYPODII COMP. EX Salvatore Franchione.

℞. Radic. Polypodij quercini recentis mundati, & contuſi ℔vj. Rhapontici, & glycyrrhizæ ana ℔ß. folior. ſen-

ſennæ, & epithymi ana ℥iij. cortic. myrobalanor. citrinor. chebulor. & indor. ana ℥j. flor. cordialium M. iß. ſem. aniſi, & fœniculi ana ℥iß. paſſular. ſine acinis, & prunor Damaſcenor. ana ℥ix. ſucci fumarię ℔j. coquantur S. A. in ℔xv. aquæ, excepto ſucco fumariæ, poſt cum colatura, ſucco fumariæ, & ſacchari ℔v. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Efficaciſsimus eſt in educendis humoribus craſsis, & atrabilarijs, ac ad tollendas obſtructiones lienis, ad ſcabiem, lepras, & quartanas febres curandas, & ſimiles affectiones.* Doſis ad ℥ij.

## SYRVPVS AGARICI ET RHABARBARI.

℞. Radicum Apij, & fœniculi ana ℥j. hyſſopi, capillor. veneris, adianthi, polytrici, ſcolopendriæ, endiviæ, & cichorij ana M. j. quatuor ſem. frigid. maior. ana ℥ß. ſeminis aniſi, & rad. liquiritiæ ana ʒiij. paſſular. enucleatar. ℥j. trium flor. cordialium ana P. j. coquantur S. A. in ℔viij. aquę fontanæ ad conſumptionem ℔v. & in vna parte colaturæ infundantur per horas 12. folior. ſennæ, & Agarici trochiſcati ana ʒvj. & in alia parte Rhabarbari electi ℥iß. & expreſſionibus factis cum eis, & ſacchari albiſsimi ℔iiß. fiat ſyrupus S. A.

### *VIRES.*

*Valet ad curandas febres longas, ad tollendas obſtructiones hepatis, lienis, venarum meſaraicarum, ad inducendum bonum faciei colorem, ad ſubducendam aluum, ad leviter purgandos humores bilioſos, pituitoſos, & melancholicos, etiam per vrinæ vias, ad curandam icteritiam, & cætera ſimilia perfacienda.*

Doſis ad ℥ij.

SY-



## SYRVPVS SMILACIS ASPERÆ MAGISTRAlis pro lue venerea ex Ioſepho Galeano.

℞. Radic. ſmilacis aſperæ ℔j. Ligni Guaiaci, rad. chinæ electæ, rad. Arundinis, ſantali rub. rad. borraginis, bugloſsi, cichorij, maluæ, pentaphyl. & quatuor ſem. frigidor. maior. ana ℥j. Herbarum fumiterræ, lupuli, & epithymi ana M. j. ſem. aniſi, ſœniculi, & coriandri pp. ana ℥ß. flor. cordialium ana M. j. betonicæ, ſtœchadis, roſar. rub. ivæ arthr. & moſchatæ ana P. j. incindenda incindantur, contundenda contundantur, & coquantur S. A. in aq. borraginis, bugloſſi, & cichorij ana q. ſ. deinde colentur, & colaturę clarificatę adde ſyr. de fumaria comp. violati ex 9. infuſion. & Roſati ſolut. ana ℔ß. ſacchari opt. clarificati, & cocti ℔iiß. coquantur omnia ad ſyrupi conſiſtentiam qui in fine coctionis aromatizetur ſequenti nodulo: ℞. Macis ʒij. cinnamomi opt. ʒvj. zingiberis ʒß. ſpicæ ʒj. pulveriſentur ſubtilitèr, & cum linteo ſubtile fiat nodulus.

### *VIRES.*

*Adverſus luem veneream, dolores articulares, & melancholiam hypochondriacam, admiraculum vſque prævalet. Corpus univerſum ab humoribus peccantibus, præcipuè atrabilaribus, inqnibus Gallica lues preſidet, tutò, citò, ac iucundè, exonerat, & expurgat. Sanguinem maſſam ita ab eius inquinamentis puram reddit, vt indè cor exhilaret, ſpiritus vivificet, & priſtinam revocet ſanitatem.* Doſis ab ℥ij. ad ℥iij.

## SYRVPVS SMILACIS ASPERÆ VVLGO *de los Remedios.*

℞. Smilacis Aſperæ ℥xvj. raſurę ligni ſancti ℔ß. aquæ pu-

puræ tepidæ ℔xij. coquantur igne lento ad conſumptionem medietatis ; hinc colentur, colaturaque ſervetur, & reſiduum piſtetur in mortario lapideo, & coquatur iterum in ℔viij. aquæ ad medias, iterumque coletur, colaturaque ſervetur, & tertia vice reſiduum coquatur in ℔vj. aquę ad medias cum ℥j. ariſtolochiæ, addendo ſub finem coctionis, mediocritèr tritorum ſeminum ebulorum, & ſeſeleos ana ℥ij. deinde colaturæ omnes miſceantur, & cum ſacchari, & mellis ana ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

V*Alet ad morbos frigidos, & quaſcumque podagras; omneſque nervorum, & iuncturarum dolores, tàm à lue venerea, quàm ab alijs cauſis genitos erradicandos;* Doſis ad ℥ij. *ſub mane per viginti dierum ſpatium, & ſi neceſitas vrgeat, ſerò patiens tantundem capiat, & exerceatur validè.*

## SYRVPVS DE SPINA INFECTORIA; SEV Spina Cervina, Domeſticus dictus.

℞. Baccarum Spinæ Cervinæ, hoc eſt Rhamnus Catharticus, circa finem Septembris, aut Octobris initio collectarum quantitatem ſufficientem; contundantur in pila lapidea ; deinde exprimendo colentur: ſuccus expreſſus coquatur lento igne, donec quarta pars abſumatur, atque iterum coletur : deinde ℞. huius ſucci colati ℔ij. ſacchari ℥xvj. Coquantur ſimul donec ſyrupi conſiſtentiam craſſam acquirat, adijciendo in fine Aniſi, Maſtiches, ana ʒiij. zingiberis, cinnamomi, & caryophyllor. ana ʒiß. in panno linteo incluſa, vt fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

B*ilem, pituitam, & ſeroſos humores maximè purgat, vndè maximè prodeſt in cachexia, & hydrope, ac arthritide.* Doſis ad ʒiß.





## SYRVPVS GARTHAMI, SEV COMITIS.

℞. Folior. ſennæ, & ſem. Carthami ana ℥iv. polypodij ℥viij. flor cordialium P. iij. Tartari Laxativi ℥ß. cinnamomi acuti ʒj. ſem. aniſi ℥ß. Polypodium mundum, & contuſum inſundatur per 24. horas in aquæ tepidæ ℔vj. cum Tartaro Laxativo: hinc bulliant, addendo gradatim ſemen carthami contuſum, & reliqua, donec ℔iij ſuperſint, deinde cum colatura, & ſacchari ℔iij. fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

F*Ebribus inveteratis, quotidianis, quartanis, viſcerum obſtructionibus, & affectioni hypochondriacæ mirè opitulatur: humoris enim craſſos, & tartareos incidit, extenuat, necnon leniter per aluum educit.* Doſis ad ℥iv.

## SYRVPVS SENNÆ EX HYERONIMO DELA Fuente.

℞. Fol. ſennæ ℔j. aquæ tepidæ ℔ivß. coquantur lento igne ad conſumptionem ℔iß. & poſt ſex horas iterum tepefiat, & coletur, colaturæ adde infuſionis roſarum Alexandrinarum ex 9. infuſionibus ℔iij. ſacchari albi ℔iv. fiat ſyrupus. S. A.

*VIRES.*

V*Alet ad purgandam bilem vtramque, & melancholiam; mundificat cerebrum, cor, hepar, ſplenem, pulmonem, & membra ſenſuum: confortat ventrem, & generat gaudium.* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

N. Si loco prędictę decoctionis ſennæ, ſumantur ℔iij. Infuſionis Catharticę præſtantior hic ſyrupus erit, in operationibus ſuis, ob notatum de ſenna in lib. I. cap. VIII. in electione ſua, & lib. II. cap. X. in infuſione cathartica.

### SYRVPVS REGIS PHILIPI II. EIVSDEM.

℞. Folior. ſennæ ℥j. infundantur in ℥x. aquæ fœniculi calefactæ, per hor. octo, coletur, & colaturæ adde infuſionis roſar. alexandrinar. ex 9. permutationibus, & infuſionis violarum ex quinque permutationibus ana ℥iv. ſacchari ℔j. fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

B*ilem, humores ſeroſos, melancholiam, & choleram aduſtam purgat; cerebrum, cor, hepar, & ſplenem mundificat. Ægritudinibus pulmonum confert. Ventrem confortat, gaudium generat, inflammationibus omnibus confert, ſodam calidam ſedat, pectus lenit, vrinam cum lenitione provocat, & eius affectibus prodeſt.* Doſis ad ℥iv.

### SYRVPVS PRINCIPIS EIVSDEM.

℞. Succi Roſar. Perſicar. ℔iij. ſacchari ℔ij. fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

C*onvenit cum ſyrupo Roſar. Perſicar. ex 9. infuſionibus.* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

### SYRVPVS DE FLORIBVS PERSICORVM.

℞. Flor. Perſicorum recentium ℔j. macerentur horis 12. in ℔iij. aquæ calentis, expreſſo poſtmodum, & colato liquori ℔j. florum perſicorum recentium infunde, idque quater, aut quinquies iteretur. Poſtremæ de hinc colaturæ recipe ℔iij. ſacchari albi ℔iiß. fiat ſyrupus S. A.





*VIRES.*

A*quas, & bilem educit, vermes necat, ac meſenterium infarctu liberat, ſeroſos humores per alvum exturbat.* Doſis ab ℥j. ad ℥iij.

### SIRVPVS AVREVS.

℞. Sacchari clarificati, & ad conſiſtentiam tabellarum cocti, & roſarum perſicarum recentium, nondum perfectè apertarum, & exungulatarum ana p. æq. ſtent in infuſione loco tepido per 24. horarum ſpatium; exprimantur fortitèr, & colatura coquatur in ſyrupum, S. A.

### SYRVPVS AVREVS ALIVS.

℞. Foliorum Roſar. Alexandrinar. ſub mane collectarum, & ut dictum paratarum, & ſacchari albiſſimi pulverati ana p. æq. fiat ſtratum ſuper ſtratum in vaſe terreo vitriato, ſtent per dies duos, mox exprimantur fortitèr, & fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

A*luum purgando renes refrigerat, & roborat, bilem purgare dicitur, hinc in bilioſis febribus commendatur.* Doſis ab ℥ij. ad ℥v.

### SYRVPVS PERSICVS EX LAGVNA.

℞. Infuſionis Roſarum Alexandrinarum, ex 9. permutationibus ℔vj. ſacchari albi ℔jv. fiat ſyrupus. S. A.

*VIRES.*

O*ptimus eſt ad purgandam bilem, & humores ſeroſos in venis contentos.* Doſis ab ℥j. ad ℥v.

## SYRVPVS ROSARVM RVBRARVM ex 9. Infuſionibus.

℞. Infuſionis Roſar. Rubrar. ex 9. permutationibus ℔vj. ſacchari albi ℔iv. fiat ſyrupus. S. A.

### *VIRES.*

*COmmendatur ad corroboranda viſcera, caput nempè, cor, hepar, ac ventriculum, & inteſtina, bilem contemperat, & ſuavitèr educit, relinquendo in ſtomacho, inteſtinis ac in ipſo hepate vim aliquam aſtringentem.* Doſis ab ℥j. ad ℥iv.

## SYRVPVS EMETICVS.

℞. Succi cydoniorum recentis ℔j. Vitri Antimonij ℥ß. Infundantur in vaſe vitreo, & committantur loco calidiori per dies tres, vel quatuor, ſæpius agitando, poſtea coquantur lento igne, ſtatimque filtretur; ſucco filtrato addantur ℥viij. ſacchari, & coquantur rurſus ad ſyrupi conſiſtentiam. Doſis in adultis à ʒij. ad ℥j. cum aqua cinnamomi, &c. in tenellis. gt. j. vel gt. ij.

## SYRVPVS DE PETO SIMPLEX QVERCETANI.

℞. Succi Peti ℔iv. hydromellis ſimp. ℔j. oxymellis ſimp. ℥iv. omnibus ſimul mixtis, fiat digeſtio in B. M. per dies duos, vel tres, vt defœcetur; hinc decanta, ac digere iterum, vt ſupra, donec materia ab omni fœculentia depurata fuerit, & adde poſtea ſacchari ℔ij. fiat ſyrupus. S. A.

### VIRES.

*ADverſus omnes affectus aſthmaticos, in quibus pulmonum bronchia, limpha craſſa, ac viſcoſa infarciuntur, et inter cepta reſpiratione ſuffocationis periculum immineat, mirè præſtat. Doſis cochlear dimidiũ à principio tamẽ ſum-*



*ſumma opus eſt circumſpectione, poſtea verò Doſis augenda erit.*

## SYRVPVS DE PETO COMPOSITVS Eiuſdem.

℞. Succi Peti depurati ℔iiß. hydromellitis ſimp. ℔j. in quibus macera per dies duos, vel tres in B. M. folior. hyſſopi, polytrichi, adianthi, flor. tuſsilaginis, ſtœchados, violarum, & bugloſsi ana P. ij. ſem. bombacis, vrticæ, & cardui benedicti ana ℥j. cinnamomi, macis, & caryophyllor. ana ʒj. deinde fortitèr exprimantur, & digerantur denuò ad perfectam fœcum depurationem: cum colatura, & ſacchari tantundem fiat ſyrupus.

### *VIRES.*

*AD anhelosos, & aſthmaticos, alioſque affectus omnes pulmonum, à frigidis, & craſsis humoribus ſubortos, qui pulmonum bronchijs in hærentes, vel tuſsim antiquam, vel ipſam diſpnæam pariunt, excelentiſsimum eſt remedium, aluum leniter ſolvendo.* Doſis a ℥ij.

## IVLEP ANISI.

℞. Sacchari Iulepiſati ℔j. olei Aniſi diſtillati ʒj. conquaſentur ſimul, vſuique ſervetur.

### *VIRES.*

*COctionem ventriculi adiuvat, ſtomachum confortat, diſtributionem chyli ex ventriculo ad hepar promovet: flatus diſcutit, cor etiam roborat, & excrementa pituitoſa diſſolvit.* Doſis ad ℥iß.

## IVLEP VIOLARVM.

℞. Sacchari albiſsimi ℔iv. aquæ fontis ℔v. ſacchari violati ℔j. coquantur, & fiat iulep S. A.

*VIRES.*

F*Ebribus medetur, pectoris affectibus, inflammationibus, pleuritidi, tuſſi, gutturis, & faucium aſperitati opitulatur, confert hepatis caliditati.* Doſis ad ℥ij.

IVLEP ROSARVM MESVES.

℞. Aquæ Roſar. Rubrar. diſtillatæ ℔v. ſacchari clarificati ℔iv. fiat iulep. S. A.

*VEL.*

℞. Aquæ in qua Roſæ ſunt maceratæ, & lento igne coctæ ℔v. ſacchari ℔iv. fiat iulep S. A.

*VIRES.*

C*Onfert maximoperè febribus acutis, ad ſtinguendam ſitim, ad remitendum illarum fervorem; eſt confortativum ſtomachi, hepatis, cerebri, & cordis; reſiſtit putredini.* Doſis ad ℥iij.

MEL ROSATVM EX DOCTORE FLORES.

℞. Succorum Roſarum Perſicarum, Roſarum Rubrar. Mellis, & ſacchari ana p. aq. fiat ſyr. S. A.

*VIRES.*

B*Landè, & ſecurius purgat, roboratque ventriculum, & inteſtina.* Doſis ab ℥ij. ad ℥iv.

MEL PERSICVM, SEV RHODOMEL
ex Meſue.

℞. Succi Roſar. Perſicar. ℔vj. Mellis ℔iv. fiat ſyrupus S. A.

*VI-*



*VIRES.*

C*Onvenit cum ſyrupo Roſar. Alexandrinar. ex 9. infuſionibus, ſed calidior eſt eo; vtitur etiam in clyſteribus* ad ℥iv. *plus, minus vè.*

MEL ROSATVM PRO VVLNERIBVS
ex Meſue.

℞. Succi Roſarum Rubrar. & Mellis ana p. æq. fiat ſyrupus S. A.

*VIRES.*

D*Igeſtivum eſt materiarum phlegmaticarum, contentarum in ſtomacho, & meſeraicis, ac etiam in inteſtinis: vtitur etiam in abſtergendo vlcera tam interna, quam externa. Doſis ſi per os detur.* ad ℥iv.

MEL ROSATVM SIMPLEX.

℞. Roſarum rubrar. recent. ℔iij. Aquæ fontanæ puræ, & tepidæ ℔xij. ſtent in infuſione per horas 24. ab hinc reiectis prioribus Roſis, totidem recentes colaturæ infundantur, reitereturque id tertium, tandem colatæ infuſionæ accipe ℔v. Mellis ℔iv. coquantur, vt artis eſt.

*VIRES.*

V*Entriculum roborat, detergit, viſcidoſque ſuccos expurgat, coctionem iuvat, putredini adverſatur, humores crudos, concoquit, oris phlegmonas, prout, & gingivarum, tonſillarumque inflammationes placat.* Doſis ad ℥ij.

MEL VIOLARVM.

Paratur eodem modo.

 *VI-*

### *VIRES.*

*REfrigerat ; lenit , & humectat , aluumque emollit, vtitur principalitèr in enematis , vbi bilis , & caloris acrimonia levanda , aut obtundenda eſt.*

## MEL NENVPHARVM.

Paratur eodem modo , & convenit cum melle violarum: etiam paratur , vt Mel Mercuriale.

## MEL MERCVRIALE AVGVSTANÆ.

℞. Succi Mercurialis ℔iv. Mellis ℔ij. coquantur in ſyrupum S. A. vtitur in clyſteribus.

## MEL ANTHOSATVM.

℞. Mellis Roſati ſimp. ℔iij. flor. roris marini recent. M. vj. ſtent in infuſione loco calido , horis 24. deinde exprimantur , & fiat colatura , quæ de coquatur. S. A.

### *VIRES.*

*COlicos , ac vterinos dolores mitigat , ob calorem benignum viſcera foventem , quibus etiam robur addit , cerebri , cordis , & ventriculi vires augens , & crudam in inteſtinis , ac circa meſenterium pituitam concoquens , flatibus diſcutiendis idoneum.* Doſis ad ℥iß. *Additur in enematis , vbi pareſis ex colica metuitur , nervoſas enim partes à noxis defendit.*

## MEL PASSVLATVM.

℞. Vuarum paſſar. ℔iv. Aquæ ℔xij. Macerentur horis 24. deinde decoquantur ad remanentiam tertiæ partis : colentur , & colatura decoquatur ad mellis conſiſtentiam , & reponatur.

VI-



### *VIRES.*

*PEctoris vitijs , præcipuè verò diſtillationi acri , & calidæ , à ſalſis humoribus obortæ conducit , aſperam arteriam lenit , & humectat , tenuem expectoratum promovet, tuſsim itidem , ac raceudinem mitigat.* Doſis ad ℥ij.

## MEL ANACARDINVM.

℞. Anacardia recentia, tere , & in aqua decoque , donec melliginem quamdam in rubeo colore fuſcam remittant , eam aquæ innatantem auferto , ac reponito.

### VIRES.

*MEmoriæ iacturam reſarcit , labentes ſenſus refricat; oblivionem diſcutit , ac mentem exacuit ; morbis cerebri frigidis , & humidis conducit , nervorumque reſolutioni opitulatur.* Doſis ad ℥ß.

## MEL EMBLICORVM.

℞. Myrobalanor. emblicor. N. L. contundantur mediocritèr , decoquantur in ℔iij. aquæ ad conſumptionem ℔ij. Reſiduo adde mellis tantundem , & ad iuſtam conſiſtentiam decoque.

### *VIRES.*

*COR , cerebrum , iecur , necnon ventriculam ſolidat; corporis odorem commendat , ac hilaritatem parit.* Doſis ad ℥iß.

## MEL CENTAVRII.

℞. Centaurij minoris recentis q. v. contunde , & colloca in vaſe vitreo , cui ſuperaffunde vini albi optimi ad

emi-

eminentiam trium, vel quatuor digitorum; ſtent loco tepido per noctem, deinde coquantur ad medietatis vini conſumptionem, colentur, & liquor colatus iterum coquatur ad mellis conſiſtentiam, vſuique reponatur.

*VIRES.*

*SPleneticum, & hepaticum eſt inſigne, abſtergit, vulnera aperit, ſerum per poros, billioſos, & pituitoſos humores per aluum educit, prodeſt in febribus, menſtruis ſuppreſsis, ſcorbuto, arthritide, & lumbricis.* Doſis ad ʒij.

## DIANVCVM; SEV ROB NVCVM EX Meſue, & Galeno.

℞. Succi corticum exteriorum Nucum, in diebus canicularibus extracti ℔iv. coquantur vnico fervore, tunc adde Mellis ℔ij. coquantur ad mellis craſsitiem. Ap-

*Diacaryon.* pellatur etiam *Diacaryon.*

*VIRES.*

*STomachicum eſt medicamentum, admodum efficax ad oris phlegmonas, & ſynanchas, diſtillationes in fauces, & alias præfocantes, pueris, mulieribus, naturiſque humidis, magnoperè accommodatum.* Doſis ad ℥j. *gargariſando.*

## DIAMORON NICOLAI.

℞. Succi Mororum Bati, ideſt fructus Rubi ℔j. ſucci Mororum Celſi, ideſt fructus Mori arboris ℔ß. Mellis ℔j. ſapæ vini ℥iij. ſuccos Mororum prius depuratos, cum melle, & ſapa in vaſe vitreato ſuavitèr decoque ad iuſtam conſiſtentiam, cola, ac ſerva.

***

*VI-*



*VIRES.*

*AD faucium ardores ſerpentia oris vlcera gulæ, columellæ, & tonſillarum inflammationes, anginæque principia efficax exiſtit, eſtque eius vſus præ cæteris celeberrimus.* Doſis ad ℥ij.

## ROB SAMBVCINVM.

℞. Succi granorum maturorum ſambuci q. v. inſpiſſetur perſe lento igne ad mellis ſpiſsitudinem, vſuique reponatur.

*VIRES.*

*ICtericos, & idropicos iuvat, ſudores quoque potenter proiicit, ac ſerum acre, nec non billioſi iecoris abundantiam, & eryſipelata ante ſudorem ſumptum eijcit: & etiam affine eſt viribus ebulino Rob.* Doſis ad ʒiij.

## ROB EBVLINVM.

Paratur eodem modo.

*VIRES.*

*BIlem, pituitam; aquaſque modeſtè detrahit; ſudores movet, ac ob prædicta Hydropicos adiuvat: Leucophlegmatiæ medetur, & podagricis, procurato ab eius ſumptione ſudore beneficit.* Doſis ad ʒiij.

## ROB IVNIPERINVM.

Paratur eodem modo.

*VIRES.*

*FRigidis ventriculi, uteri, ac inteſtinorum malis magnopere prodeſt; vrinas, menſes, calculoſque eijcit, renes, & veſicam à muccoſitate repurgat, flatus ventris diſcutit, venena pellit, obid probè adverſus aëres infectionem, & contagioſos morbos antidotum familiare exiſtit, ad pe-*

*ſtus*

*ctus à crudo, craſſo, & tenaciter, in farcto phlegmate expurgat.* Doſis ad ʒiij.

*Theriaca Germanorum.* Efficitur etiam extractum more ſolito ex Baccis Iuniperi, & dicitur *Theriaca Germanorum.*

## HYDROMEL VINOSVM EX QVERCETANO.

℞. Mellis optimi partem vnam, Aquæ pluviæ partes quinque, tepefiant, vt optimè miſceantur, deinde ferbeſcant iterum, atque iterum, ſpumam auferendo, & ad tertiæ partis conſumptionem leviter coquendo, vel ad iuſtam conſiſtentiam, cuius ſignum bonum erit, quando recens ovum iniectum ſupernataverit; tunc materiam mediocritèr calentem per Hippocratis manicam tranſmitte. Hinc colloca colatum liquorem in vaſe appropriato ſupra furnum, in quo panes quotidie coquuntur, & relinque illic menſem, vel vſque ad fermentationis, & de fœcationis gratiam. In cellam muſculam traduces. Vſus tamen erit ante ſemeſtre: Interea Hydromel vinoſum, ſimile fit vino Malvatico.

## HYDROMEL AQVOSVM.

℞. Mellis optimi ℔ß. aquæ fontanæ ℔v. coque, & detrahe ſpumam, & cum non ampliùs ſpumaverit cola, & repone in phiola vitrea.

### VIRES.

*Prodeſt in morbis frigidis capitis, nervorum, ſenum tuſſi, aut quando abſceſus internus ruptus eſt in ventre infimo, alia vè parte, cum detergendi, roborandi, & à putredine præſervandi adeſt indicatio.*

*Vtitur pro potu hordinario.*

***





## CAPVT XII.

### *De Aquis.*

## AQVA CINNAMOMI LACTESCENS.

℞. Cinnamomi groſsè contuſsi ℔ß. aquæ roſar. & vini albi electi ana ℔iij. macerentur per dies tres, mox per retortam vitream igne arenæ diſtillentur, vſuique aqua diſtillata reponatur optimè clauſa.

### VIRES.

*Recreat omnes animæ functiones, cor, caput, ventriculum, &c. confertat.* Doſis ad ℥ß.

## AQVA CINNAMOMI SPIRITVOSÆ ex Poterio.

℞. Cinnamomi electi ℔j. ſp. vini ℔iij. aquæ roſarum ℔ß. macerentur triduo in fimo equino, hinc diſtillentur per B. M. & diſtillabit aqua fragrantiſsima.

### VIRES.

*Epilepſiæ confert, animales ſpiritus recreat, memoriam auget, & refrigerato ventriculo ſuccurrit.* Doſis ad ʒij.

## AQVA CINNAMOMI BVGLOSSATA Mynſicht.

℞. Aquæ Bugloſsi ℔vj. cinnamomi acuti ℔j. flor. recent. violarum, & roſar. ana ℔ij. corticum radic. bugloſsi ℥iij. flor. borraginis, & Meliſſę ana ℥j. ſpec. Diarri odonis Abbatis ℥ß. miſceantur, & poſt debitam digeſtionem per B. M. diſtillentur.